



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XLIV. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

tes præ oculis mentis suæ illud factum Elia v. 19. hujus cap. qui filium è molli sinu matris, in quo jacebat mortuus, abreptum, duro imposuit lectulo, & impositum revocavit ad vitam.



FASCICULUS XLIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 18. & 19. lib. 3. Regum, in quibus describitur Elia Sa-
cra audacia in corripiendo Achab Rege. Ejus Sacrificium & confusio
Baalicarum. Fuga Elia à facie Jezabel. Panis ab Angelo sugienti por-
rectus. Eliai vocatio & unctio.*

N. 197. Considera I.

Quamtaudaciam Deus inspiret viris, veræ pieta-
ti & zelo honoris sui addictis: quippe Elias hîc
sibi obvium habens Regem Achab, in furias actum,
& in has voces erumpentem cap. 18. v. 18. *Tu es, qui conturbas Israël.
Ne quidquam inde territus, retulit ocus: non ego te turbavi, sed tu, &
Domus Patris tui. Strenuè ad propositum isthoc discurret S. Chrysost.
Homil. 5. ad Popul. asserens: Elias non spectavit Diadema, sed animam
sordibus indutam, squalentem, & omnî Reò miserius affectam respiciebat, & ipsum
intuitus captum esse, & vitiorum servum, ipsius Principatum contempsit &c. Obser-
vat Philo Hebræus: Moysen divinam legem universo Populo inculcan-
tem, non aliter fuisse locutum, ac si ad unicum tantummodò virum
verba dirigeret, ajebat enim: Non habebis Deos alienos. ut disceret inde
Posteritas: Hominem divinæ legis studiosum, & zelò honoris ejus
plenum, tam parum formidinis concipere à conferta multitudine,
quam haberet corrigendam, ac ab unico tantùm homine. Hinc S.
Hieronymus generosissimum zelotem Christum ipsum considerans,
profitetur: sibi verba deesse, quibus heroicum illud factum satis de-
prædicet, quod edidit ejiciendò omnes vendentes & ementes de Tem-
plo. Causam verò animositatis hujus assignat Euthymius dicens:*

quòd

quod Christus unus solusque tam imperterritò animò plurimos aggressus sit, debebat
 tur ejus vita, ab omni peccato remotissima. O Christiane Superior! quid
 est caulæ: quod ita trepides, aliorum crimina culpaturus, nisi defe-
 ctus solidæ pietatis & zeli, quem reperis in te, metuens: ne tibi con-
 tingat, quod impiis contigit Prophetis Baal, quorum clamores irrisit
 Elias? v. 27. cap. citati, qui solus de se ipse testari poterat v. 36. & ego
 servus tuus, & juxta Præceptum tuum feci &c. ac proin effecit: ut caderet
 ignis Domini de Cælo, & voraret Holocaustum, vidensque illud
 Populus prolaberetur in faciem, exclamans: v. 40. Dominus ipse est
 Deus.

Considera 2. Quemlibet Christianum insidias Mundi fugientem, N. 298.
 frequentur audire eadem verba, quibûs Angelus Eliam fugitivum à fa-
 cie Jezabel, & sub Junipero decumbentem fuerat allocutus cap. 19. di-
 cens: surge, & comede; grandis enim tibi restat via &c. At quares: qui-
 nam iste cibus, quò refici oporteat? respondet Glossa: sicut corpus sine
 alimento subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. Elias hic
 pastus exprimit nature nostræ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed
 duplex quatenus ad superna valeamus ascendere. Cælestis Magister noster
 Christus Dominus in oratione sua docet: æternum Patrem his ro-
 gare verbis: panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quam Doctrinam
 expendens Doctor Angelic. Opuscul. Orat. Dom. ait: invenitur & aliud
 duplex panis, videlicet sacramentalis, & verbi Dei. Non postremum inter
 ea, quæ Deus olim Moyse dederat Præcepta, fuit illud Exodi 25. le-
 gendum: pones super Mensam panes Propositionis in conspectu meo semper. Per
 quos penes non tantum divina figurabatur Providentia, duodecim
 Tribus Israël materialî pane sustentans, sed vel maximè spiritualis
 verbi divini panis eos recreans, & in bono conservans, prout explicat
 Venerab. Beda noster tom. 4. lib. de Tabern. 1. cap. 7. sic scribens:
 Panes Propositionis super Mensam semper positi Doctores sunt spirituales, qui in
 lege Domini meditates die ac nocte, cunctis Ecclesiam intrantibus refectorem ver-
 bi cælestis offerunt &c. æstimaverant præstantiam horum panum Turbæ
 illæ, quæ integrò triduo auscultabant Christo concionanti, panem
 materialelem quasi penitus interim oblitæ. Æstimaverant panes illos
 paritur Populi, qui Antonium Paduanum prædicantem etiam ardente
 sole & stillante pluviâ sub Dio audiebant. Imò usu rationis & omni
 sensu expertes lapides æstimavere hos panes: cum enim teste Raderò
 in vita Venerab. Bedæ vir Sanctus ob penuriam Auditorum concioni ci-
 tius

ius finem imponeret, lapides responderunt: *Amen venerabilis Pater.* Econtra reperire est pro pudor! creaturas, & sensu & ratione præditas, homines videlicet, & quidem verâ fide imbutos, qui parum, aut nihil æstimant sacros hosce panes. Ejusmodi sunt, qui graviorum flagitiorum sibi consciî metuunt, ne carpantur, unde Ecclesiast. 21. dicitur: *audivit luxuriosus, & displicebit ei, & projiciet illud post tergum suum.* Sicut qui gravî nausæ laborant ipsò etiam cibi aspectu torquentur: ita illis sola verbi Dei memoria bilem movet. Nec mirum teste S. Ambrosiò in Psal. 118. *quomodo enim possunt verba Dei dulcia esse in faucibus ejus, in quibus est amaritudo nequitia?* licet cæteroquin acceptissimus esset Herodi Joannes, ferre tamen cum nullatenus potuit, quando contra ejus notam libidinem cæpit verba facere, inquires: *non licet tibi habere uxorem fratris tui &c.* credo, ejusdem farinae fuisse rusticum illum, de quo Cardin. Vitriacensis Serin. 290. sequentia narrat. Obstinaverat is animum ad nullam unquam concionem audiendam: quare ad prima concinantis verba è Templo semper se proripiebat, annis non paucis in hac verbi divini maledicta nausæa transactis, moritur miser, & pro patrio more defuncti cadaver infertur Templo. Sed ecce! dum solemnes Ecclesiæ preces mæstò cantu pro eo per solvantur: Crucifixi Imago utramque manum è clavis, quibus figebatur, solutam capiti applicat, ambas aures insertis digitis occludens. Parochus ad auditores rei novitate stupefactos & territos conversus, ait: quia hic dum viveret, oclusit aures verbo Dei; hinc Deus justò judiciò preces nostras recusat audire, quas fundimus pro hujus miserimè mortui anima. Habeat ergo Infernus corpus isthoc, cujus animam jam possidet, æternis cremandam ignibus. Abrumpens ergo preces & cantum, cadaver asini sepulturæ intulit. Est porro alios reperire inter Christianos, qui ea de causa nausæant hos sacros panes, quod sibi persuadeant, se sufficienti scientiâ instructos, aliorum monitis nequam indigere, Phariseorum æmuli, qui suis sapientes in oculis, flocci æstimavorant verba Christi, juxta illud Joan. 7. *Nunquid ex Pharisæis credidit in eum aliquis?* at quàm ingens est talium Doctorum stultitia. Est enim perinde, ac si quis putaret, agris suis pluvias non esse necessarias ea de causa, quod vivus aliquis rivulus illos percurrat. Quis sapientior Moyse? & tamen à Jethro homine rudi salutaribus debuit consiliis erudiri? quis in lege divina versatior Davide, utpote qui de se Psal. 50. testatur: *occulta sapientia tua manifestasti mihi.* Et tamen
divini

divini verbi Panibus à Nathan accipiendis indiguit? S. Chryostomus nil nisi aurum innatâ sibi facundia loquebatur, & tamen moneri se passus est à muliercula, ut subtiliorem in dicendo deponeret stylum, & planiori diceret. Sicut Medici, licet in sua arte peritissimi, quando graviter decumbunt, se aliorum curâ committunt, ita plane Christianus, etsi in Lege Dei se credat optimè eruditum esse; tamen verbi divini Pabulum non nauseare debet, ab altero sibi porrigendum: nam & pisces marini, etsi in falso semper vivant, sale nihilominus ad condiendum indigent. Ita si quis sibi persuadeat, ob infusam, aut acquisitam rerum divinarum scientiam se falsum satis esse, nihilominus aures aliis prædicantibus aperiat, ut magis salietur. Christiane Lector: cum sperem, te talium hominum de numero non esse, quibus aut scelerum ingluvies, aut inanis sapientia tumor nauseam erga sacros divini verbi Panes movet; hinc monitis S. Augustini haud dubiè promptas dabis aures, quibus Serm. 56. de tempore Christianos cum Elia Jezabelem, mundum videlicet fugientes alloquitur, dicens: *plus semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus, quia intus in homine interiori facti sumus ad Imaginem Dei, in carne autem de limo terra sumus formati. Et videte fratres: si justum est, ut caro nostra de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima, quæ Imago Dei est, vix post plures dies accipiat verbum: cum tamen expediat nobis: ut amplius Dei Imaginem in nobis, quàm nostram carnem honorare debeamus. Juxta exemplum Elisæi relinquere nos oportet boves v. 20. cap. citati, id est terrena negotia, & currendum post Eliam, ut verbi divini Pabulò recremur in anima.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 20. & 21. lib. 3. Regum, in quibus describitur duplex Victoria Achabi, de Benedad reportata. Impia commiseratio cum victo habita. Achabi avaritia & concupiscentia vineæ. Naboth. Jezabelis savitia &c.

Considera 1. & admirare: quod Deus Achab Regi impiissimo & N. 299. rebelli victoriam ab hoste reportandam denunciari jubeat per Prophetam, & hanc quidem duplicem, ut S. Script. testatur. Quæres autem, quæ causa hujus duplicis victoriæ, etiam pessimo, & neutiquam talem gratiam promerito Principi concessa? respondeo: eam dete-
gi

gi à S. Scriptura, dum Syrorum blasphemias, in Deum effusas explicat: *maledicti enim erunt Tobia 5, qui contempserint, & condemnati erunt, qui blasphemaverint te.* Fuerit ergo rebellis, & divinis injuriis mandatis Achab, blasphemus tamen non fuit Syrorum instar: atque majori hinc veniâ dignus. Est enim tam horrendum scelus blasphemia teste S. Bernardô Serm. 2. de convers. Pauli quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis sacrilegas injecerunt manus. Eccles. cap. 26. blasphemiam appellat *flagellum lingue*: flagellum autem non verbera tantum, sed gravissimam quoque infert injuriam, utpote destinatum abjectissimis mancipiis supplicium, longè majori dolore mentem, quam tergum plagis vulnerans. Quare Pontifices Judæorum ad infaniam usque Christo Domino indignati: quò gravius eum affligerent, non manus, sed linguas in eum armârunt, exclamantes Jeremia 10. *venite, percutiamus eum linguâ.* Dicturi per hoc: cædant ministri Christum flagellis & colaphis, coronent caput ejus spinis, ac demum è crucis stipite eum suspendant, nos aliud his suppliciis gravius effundemus in illum, percutiendô linguâ. Hinc S. testatur Matth. 27. *prætereuntes blasphemabant eum.* Si porro exactiùs perpendo enormitatem hujus gravissimi sceleris, dicam intrepidè; blasphemos Deum majori ludibrio ipsis Dæmonibus afficere; Hi enim animò tantum injuriæ in Deum esse possunt, illi verò & animò & linguâ illum contemptui habent. Dæmones si maledicunt Deo, maledicunt illis, quatenus gravissimis ab eo pœnis torquentur; Christiani vero cum maledicunt Deo, maledicunt illi, quem sciunt amantissimum parentem, largissimum benefactorem suum, sicque crudelissimè invadunt, lacerantquè ipsam manum, quæ suavissimè ipsis blanditur, & innumeris eos ditat donis. Quis quæso canis majorem in rabiem agi potest illò, qui non solum patremfamilias mordet, sed etiam tunc mordet, quando panem ei porrigit? quare ò Christiane Lector! etsi gravia & multa sint peccata, quibus Deò fuisti injurius; veniam tamen de omnibus illis spera, quin & gratiam à Deo te pœnitentem obtenturum non dubita; dummodo blasphemus non sis; nam effectum Christi est Matth. 3. *qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Quid enim aliud est blasphemare, quam ipsum Medicum, à quo curandus es, repellere? isthæc nimirum causa suberat, cur Dominus è cruce pendens fructum suæ crucis, salutem videlicet æternam, denegaverit sinistro Latroni, quem tamen imper-

impertitus est dextro; quia ille Medicum salutis per blasphemias à se abiecit. *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* & planè ex ipsa sua natura nil habet blasphemia, quod veniam mereatur: nec enim ignorantiam neque infirmitatem allegare poterit aliorum scelerum more, angelicum illud immitans peccatum, ex mera malitia profectum. Sicut canis retibùs explicatus, rarissimè explicabitur, quia moribus impetere solet liberatorem suum, ita blasphemus veniam à Deo sperare nullatenùs poterit, quem mendacì linguà impetit. In vita S. Joan. Chrysof. legere est: cùm Sanctus iste in Sanctissimæ Trinitatis laudes aureum os aperiret, grates referens pro annuis frugibus ab ea acceptis, Authemium respondisse blasphemà linguà: *Non Christus, sed elementa Mundi temporibus suis eos producant Deorum providentiâ.* Nondum finierat has voces blasphemus, jam malignò Spiritu possessus, terræque allisus miserè jacet rugiens, & ingenti terrore percutit spectantes, a temporalibus hisce (ut non ambigo) transiens ad æternas blasphemias. Viderint ergo Reges & Principes, Magistratus & Judices, qui tam enorme crimen impunitum relinquunt, quas pœnas ipsi incurrant, & quomodo Judici tremendo rationem reddant impiæ Clementiæ? erunt haud dubiè in extremo Judicio cum Rege Achab, victò à se Benadad parcenti, à Christo Domino audituri. *Quia dimisisti virum dignum morte manu tua, erit anima tua pro anima ejus &c.* v. ult. capituli hujus.

Considera 2. Quàm clarò exemplò Verbis Christi Domini, divitias spinis comparantis, præluserit Achab; hic enim teste S. Scripturâ cap. 21. Sceptum Regni magnâ tranquillitate gubernans, & summâ ærarii sui abundantia fruens, ut audiit: se vineam Naboth consequi non posse, cui tamen avidissimè inhiabat: *projiciens se in lectulum avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* v. 4. capituli cit. in quæ verba S. Ambros. ait: *non manducavit panem, quoniam querebat alienum; etenim divites magis alienum panem, quam suum manducant, qui raptu vivunt.* Verùm quid illi in hoc pane alieno, nisi vepres & spinas comedunt, quibùs diu noctuque eorum pectora torquentur? quid in lectulum se projiciunt cum Rege Achab, cùm tamen inter mollissimas etiam plumas nullam sint quietem habituri? en! quomodo miserimus iste Rex in tanta divitiarum affluentia pungatur ab unica vinea, non antea requiem se obtenturum credens,

Fff

dens,

dens, antequam tumulo lapidum innocentem Naboth involvisset. Imò tunc primùm novis & horrendis cruciandus curis, quando votò suò potitus, auditorus est proclamatum in se & uxorem suam, Dæmone pejorem, Dei vindictam. Precabatur olim Abraham Gen. 23. ut Ephron filius Sophor speluncam duplicem sibi justò venderet pretiò. Annuit ille, tam speluncam, quàm pretium pro ea oblatum donans petenti. Abraham verò relatìs pro hac gratia gratis, agrum gratis accipere nullatenus voluit, dicens ibidem; *quæso, ut audias me, dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo.* Putaverat ergo Abraham, retentis pecuniis securam quietem nec se, nec corpus defuncti habiturum. Quare ò christiane Lector, si tibi ad manum sint divitiæ, iis haud aliter utere, quàm eò modò, quò spinis & tribulis uti solet agricola: has ille eradicat è terra, in sepes adaptans, quibus agros suos à ferarum incurfibus custodiat: ita inquam utere illis: animam tuam ab incurfu Dæmonum defensurus, & positurus in requie, tam hìc quàm ibi possidenda, liberaliter eas in pauperum manus distribue, ex Thesaurò tuo instar spinas è terra extractas.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 22. lib. 3. Regum, in quibus describitur Regis Achab deceptio, facta per falsos Prophetas, ejus cades &c.

N.301. *Considera:* **P**Lurimos reperiri Christianos, qui cum Rege Achab aures ocludant Veritati, quam Spiritus Sanctus Spiritus æternæ Veritatis per pias Inspirationes eisdem immittit: cum econtra benevolas aures præbeant falsis Prophetis, à quibus decepti cum Achab tam in anima quàm corpore pereunt. *Quæres: quinam hi mendaces Prophetæ? respondeo: illos esse Mundum, carnem & Dæmonem.* Promittit Mundus gaudia, sed dat mœrorem. Promittit quietem, sed millè curis onerat mentem. Promittit altissimos honorum & dignitatum gradus, sed quam plurimos ad infima abjicit servitia. Stare promittit, sed recedit, onagri instar se gerens, quod animal viatore conspectò in iisdem stat vestigiis, sed ut advertit sibi appropinquantem Eurò sagitta que velocius fugit. Ajunt: Heliogabalum Imperatorem folles, ventò distentos pro subselliis jus-
sisse

lisse apponi convivis, quos prandentibus illis rellabat, ut concidentibus repente follibus sub mensis reperirentur delusi convivæ. Ita illudit Mundus, vana gloriæ spe cæu ventò plures in altum elevat, quos tamen derepente cadere facit. Sic illudit Baltafaro Regi & mille optimatibus ejus, qui dum biberent è vasis Templi sacris, & laudarent Deos suos, à Cyro Babylonem noctu occupante oppressi subito, & interfecti sunt *Daniel. 5.* quibus idcirco strenuè illudet Veritatis Præco Isajas cap. 21. dicens: *pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum. q. d. sera nimis est custodia, quam vestro corpori defendendo assumitis, serò ad arma confugitis abhostibus præventi, moriendum nunc est vobis, qui paulò ante nil minùs, quam de morte cogitastis, à Mundo longam vitam cum Victoria promittente delusi.* Historiæ PP. Dominicanorum narrant de Rolando: quod cum Festum diem solemnibus epulis & choreis consumpsisset, & tandem vespere ad se reversus diceret: *hem! ubi nunc est Festum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, que jam abiit?* juxta hujus diei adeò fugacis exemplar alios quoque dies futuros autumans, statuit ociùs mundo nuntium remittere. Nec mora: vix altera dies illuxit, Rolandus sæculum omne exiit, Religiosum Sanctitate & Doctrinâ clarissimum indutus. Platò teste lib. 3. Petrus Confalvus juvenis opibus & nobilitate stematis celebrer, dum equò superbò vestus, publicas transvolaret plateas, subito dejicitur in lutum, risu omnium spectatorum exceptus. Quò factò adeò erga Mundum excanduit: ut in has querulas erumperet veces: quandoquidem tibi tandiu (Munde) inserviens, tam malè tractatus sim à te: hinc parè mensurâ remetiar tibi. Mundo igitur obvertens tergum, ad Dominicanos se contulit, Religiosum ibidem professus. Bellifarius tot exercituum victor, omnem suam gloriam cum ipsi oculis perdidit, ut ejus miserabili exemplò discerent posterì, malignò oculo Mundum aspicere, qui instar falsissimi Prophetæ suis amatoribus ita illudit.

Caro secundum inter falsos Prophetam agens, spondet felicem vitam, si homo sequatur voluptatem: sed præter æternam animæ mortem, corporis quoque mortem accelerat: deliciæ enim, ciborum varietas, Bacchi immoderatus usus, somnus longior, irrefranata venus, quid aliud generant, quàm fatales morbos & vitam brevem? caro sane est simillima Jaheli, quæ fugienti Sifaræ Judic. 4. obviam

ivit, blandissimis eum salutans verbis: *intra ad me Domine! intra: ne timeas.* Verum largiter ab illa refectus, dum somnum caperet largiorem, somnum mortis incurrit, clavò per tempora adactò. Recte ergo Socrates apud Platon. de ea asserit: *Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori conjungit, atque affigit, efficitque: ut insectus specie corporeâ ea putet esse vera, quæ suadet corpus.* Sed deceptum se serò nimis ingemit. Pythagoras vetuit ea gustare, quæ nigram deferunt caudam. Talem escam meritò dixeris esse decipulam carnis voluptatem, quæ suâ dulcedine in initio blanditur, sed in finem desinit amarissimum, etiam instar firenis arridet pulchrâ mulieris facie, sed caudam defert serpentinam & venenò lethali plenam: adeò, ut verissimè de ea dixerit Salomon Prov. 5. *savus distillans labia meretricis, novissima autem illius, quasi absinthium.* Dio orat. 4. scribit: Festum à Persis celebrari, *Saccarorum dies* appellatum, quò ex captivorum numero aliquis in regio collocetur Throno, regalì vestiatur ornatu, concubinìs utatur pro libitu, agat demum omnia impunè: donec finitìs hisce Regnì diebùs exutus vestitu cadatur, cæsusque suspendatur. Talem haud dubiè subeunt sortem, qui abjectìs Dei sanæque rationis legibùs carni se captivos tradunt, ejus deliciis fructuri. Deterrimus tandem Pseudoprophetarum Dæmon mentitur, promittens ea, quæ cujusque Genio putat esse accommoda, mille formarum Protheus. Sic enim promittit ambitiosis honores, curiosis scientias, avaris opes, luxuriosis voluptates &c. Et quod inter tot promissa pessimum est: falsissimam de æterna salute promittit securitatem. Quò fit, deceptos homines cum temporalibus perdere æterna. O Christiane! quoties tu talibus Prophetis faciles hucusque præbuiisti aures? disce tandem Regis Achab & aliorum miserandò casu sapere, obsequens tantum illis consiliis, quæ Spiritus Veritatis de Mundi contemptu, de mortificatione carnis, de amando Deo tibi suggerit,



FASCI-